

contradictionem. Tertio, si in primo signo intelligitur illa actio ex necessitate elicit a voluntate, non habet unde sit magis vel minus libera in eodem instanti temporis, pro alio instanti naturæ, quia voluntas non elicit illam cum majori iudicio rationis, nec cum majori determinatione, aut auxilio efficaci ex parte gratiæ, in uno signo quam in alio. Præterquam quod si in primo signo actio illa est necessaria necessitate opposita libertati, eadem necessitate sequitur duratio illius actionis pro secundo signo naturæ; ergo in illo etiam destruetur libertas, juxta doctrinam datam in cap. 14. Si vero in primo signo non est tanta necessitas, sed solius infallibilitatis, falsum est in illo signo actionem non esse liberam, nam eadem necessitas in secundo signo invenitur; est ergo impossibilis illa doctrina. Accedit tandem quod illa signa naturæ in tali actione distinguere non possunt præsertim respectu ejusdem voluntatis hominis, ut a fortiori patebit ex sequenti illatione.

15. *Corollarium tertium.* — Tertio, infero actionem illam non prius natura et causalitate fieri ab uno ex illis principiis quam ab aliis, id est, a voluntate prius quam a gratia vel principio supernaturali physice adjuvante, vel e contrario, neque etiam prius a libero arbitrio ut causa secunda, quam a Deo ut causa prima. Hanc assertionem docent nobiscum sæpissime citati Theologi, qui in asserenda physica prædeterminatione a nobis dissentiunt, licet aliis locis, ut nos impugnent, ab illa recedere videantur, ut in sequentibus videbimus. Tamen illatio est evidens, ut in simili diximus in lib. 3, simultaneum concursum explicando, quia illa actio est una et indivisibilis; ergo intra illam (ut sic dicam) non potest inveniri realis causalitas, quia idem non est causa sui ipsius; ergo non potest sub una ratione esse prior quam sub alia. Item illa actio essentialiter vel intrinsece pendet ab illis omnibus principiis, et a singulis illorum; ergo non potest esse prius natura ab uno solo quam a cæteris.

16. *Rejiciendus loquendi modus.* — Quapropter rejiciendus est ille loquendi modus: *Deum dare auxilium concomitans, non ut prodeamus in actum, sed ut adjuvet ad eliciendum actum in quem prodire cœperamus;* ac si voluntas possit prodire in actum sine concursu concomitante Dei, vel possit inchoare actum prius natura quam illum eliciat, vel quam Deus concursum inchoet, quæ sunt plane absurda. Nec minus falsum est quod in alio loco idem auctor dicit, *consensum voluntatis ut*

exercitum non refundi in liberum arbitrium, etiam ut elevatum per auxilium efficiat. Nam si liberum arbitrium est vera causa efficiens illum consensum, juxta doctrinam Concilii Tridentini, sess. 6, canon. 4, certe facit illum ut exercitum; quomodo ergo non refunditur in illum? Deinde idem Concilium, in dicto cap. 7, dicit gratiam unicuique dari secundum propriam ejus dispositionem et cooperationem. Est autem dispositio per consensum; ergo, sicut dispositio refunditur non solum in gratiam, sed etiam in cooperationem, ita et consensus. Item Augustinus, libr. 83 Quæstionum, quæst. 68, non reprehendit illum qui sibi tribuit quod venerit vocatus, cum tamen hoc sit refundere consensum in liberum arbitrium. Dices: verum est actum illum reduci in voluntatem, ut in causam vel concusam proximam, ultimate vero esse reducendum in auxilium efficacem. Respondetur, de hac resolutione in ultimam radicem postea dicendum esse, nam magis pertinet ad ordinem prædestinationis et intentionis quam executionis, et quatenus fieri potest in ordine executionis, sistit in vocatione, juxta illud Augustini, dicta quæst. 68: *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit, quæ vocatio est magis principium morale quam physicum.* Unde, loquendo de efficacia physica consensus et actionis consentiendi, non potest resolvi in solum auxilium, sed in voluntatem cum auxilio.

17. *Quæstionis resolutio.* — *Nihil necessario invenitur in ipso actu consentiendi, quod sit auxilium efficacem, quo voluntas physice prædeterminetur ad ipsummet consensum.* — Ex his ergo videtur aperte concludi, nihil necessario inveniri in ipso actu consentiendi, quod sit auxilium efficacem, quo voluntas physice prædeterminetur ad ipsummet consensum. Probatur, quia talis prædeterminatio vel fit per ipsum actum secundum, ut intelligitur in termino, et in esse perfectæ qualitatis, vel ut est actio in fieri ad illam qualitatem: neutro autem modo potest esse auxilium physice prædeterminans voluntatem; ergo non est tale auxilium. Primum membrum minoris manifestum est; tum quia consensus ipse (ut dicebam) sub illa ratione non est auxilium, sed est effectus intentus et comparatus per talia auxilia: tum etiam quia ille actus sic spectatus supponit voluntatem jam determinatam in actu secundo, per ipsamet actionem per quam efficit talem consensum; ergo non potest ipse consensus prædeterminare volunta-

tem. Item quia prædeterminatio dicitur esse necessaria voluntati ad eliciendum consensum, quia non potest vel indeterminata agere, vel non habet vires; consensus autem ipse jam supponit totam actionem voluntatis, et per se non dat vires ad agendum aliud, nedum seipsum; hæc ergo pars evidentissima est. Altera de actione probatur primo ad hominem, ex principio ab aliis posito, quod voluntas nihil potest agere non prædeterminata; inde enim optime inferitur quod actio prædeterminans voluntatem non potest esse elicit a ipsa voluntate, quia alias efficeret illam nondum prædeterminata; conditio enim necessaria ad agendum debet supponi actioni, saltem ordine naturæ; quod autem fit ab ipso principio efficiente, non supponitur ad actionem ejus; ergo si prædeterminatio fieret a voluntate, non supponeretur ad actionem voluntatis; ergo non esset conditio necessaria ut voluntas ageret; ergo ageret voluntas nondum prædeterminata, quod est contra hypothesim. Quin potius, ut supra dicebam, est repugnantia in verbis, quod voluntas eliciat actionem, et quod actio illa sit prædeterminatio ejus, quia in eodem signo, in quo illum elicit, flectitur ad illum potius quam ad aliam; ergo determinatur formaliter per illam actionem, nondum prius natura determinata, et effective determinat se non prædeterminata ab alio. At vero ostensum est unicam actionem illam non fieri sine influxu ipsius voluntatis; ergo per illam non prædeterminat Deus voluntatem.

18. Responderi solet illammet actionem non posse fieri a voluntate humana nisi influente divina, et per illum influxum, ut est a Deo, prædeterminari physice voluntatem humanam ut suum cursum adjungat, quia ille influxus Dei sine dubio est physicus, et est prior ordine naturæ, quia prima causa prius natura agit quam secunda. Et hoc argumento nos maxime premunt Cabrera et Cumel, ut saltem hanc prædeterminationem physicam negare non possimus, et ut ex illa convincant, argumenta supra a nobis facta, ad probandum physicam prædeterminationem in actu primo tollere libertatem, non esse efficaciam, quia in hac prædeterminatione in actu secundo instantur. Verumtamen ratio est longe diversa, nam in hoc auxilio nulla est propria prædeterminatio ex parte Dei, sed condeterminatio, ut sic dicam, nisi in verbo prædeterminandi sit æquivocatio, quam sæpe alias declaravi.

19. Primo enim cum voluntas se determinat ad consensum, id non facit sine physico in-

fluxu et coefficientia Dei, sive cooperantis per gratiam aliquam physice adjuvantem, sive concursum causæ primæ in illo ordine præstantem. Ille vero concursus non est prævious, sed simultaneus, et similiter ille actualis influxus gratiæ adjuvantis simultaneus est, tam tempore quam natura, cum cooperatione ipsius liberi arbitrii, ut proxime ostensum est; ergo talis influxus, ut est a Deo, non est prædeterminativus voluntatis, sed tantum cooperativus, in quocumque signo temporis vel naturæ consideretur. Nam auxilium prædeterminans, ex vi illius particulæ *præ*, dicit aliquam antecessionem saltem causalitatis et naturæ ad propriam determinationem voluntatis, et in hoc sensu tractatur quæstio. Et ideo etiam ab aliis auctoribus condistinguitur concursus simultaneus a prævio, seu prædeterminante.

20. Secundo, prædeterminans auxilium dicitur ab his auctoribus influxus in causam, et non proxime in effectum; ille autem influxus Dei imbibitur in actione, qua voluntas facit suum consensum, non est influxus in causam, sed in actionem, seu effectum causæ, quia intime imbibitur in ipsa actione; ergo ille non prædeterminat voluntatem. Instat vero Cumel, quia illa actio est in voluntate; ergo non potest ille influxus esse in effectum, quin sit etiam in causa. At hoc modo committitur æquivocatio, et nimis materialiter consideratur voluntas; duplicem enim habet rationem, et potentiam operativam actionis, et potentiam receptivam ejusdem actionis in posteriori naturæ postquam facta est seu jam fit. Influxus ergo in causam est ille qui præcedit in causa prius natura quam operetur, et in illa fit ut illam compleat, vel applicet ad agendum; at ille concursus vel influxus non ita recipitur in voluntate, sed solum tanquam in potentia passiva, quæ recipit ipsam actionem, in qua immediate ille influxus imbibitur. Sicut influxus quem præbet ipsa voluntas etiam recipitur in ipsa, non formaliter, ut in causa agente, sed ut in materia, seu subjecto talis actionis.

21. Tertio, idem declaratur, quia voluntas prius natura considerata quam Deus illum influxum præbeat, est omnino indifferens et indeterminata, quia natura sua talis est, et nondum intelligitur aliquid recepisse quo determinetur; sed ab illo statu immediate reducitur ad actionem qua elicit suum actum secundum, quam actionem simul cum Deo efficit; ergo non operatur, et elicit actionem ut prædeterminata, et consequenter non prædetermi-

natur per concursum vel influxum imbibitum in eadem actione. Probatur consequentia, quia inter illud signum naturæ, in quo præexistit indifferens, et aliud in quo actionem jam elicit, non datur medius status, seu medium instans naturæ, in quo intelligatur prædeterminata a Deo per illum influxum; quia ostensum est inter illum influxum Dei et influxum voluntatis non esse ordinem naturæ nec causalitatis; ergo in hoc modo agendi, et secluso prævio influxu immediato in potentia ipsa voluntatis, non est necessaria vera et propria prædeterminatio.

22. Addo semper illa verba *vera et propria*, quæ etiam dici potest univoca prædeterminatio. Quia æquivocando in verbo prædeterminandi, potest quis illam Dei actionem vocare prædeterminationem, quia per illam actionem voluntas se determinat; ideoque cum eadem actionem Deus faciat, potest etiam dici per illam determinare voluntatem, quamvis non sine illa libere, et omnino simul cooperante. Unde ulterius, quia eadem actio principalius ac excellentiori, magisque independenti modo est a Deo quam a voluntate, ideo ad hoc significandum potest illa determinatio a Deo dici prædeterminatio. Sed hoc dico tantum esse verbo ludere, significationem ejus mutando, per quod omnino a propria quæstione divertimur. Nam in illo usu verbi, particula *præ* non significat ordinem causalitatis, neque indicat aliquod auxilium efficax quo dentur voluntati vires ad operandum, nec significat determinationem quæ in voluntate fiat, ut operari valeat, sed significatur solum excellentia et major perfectio influxus divini, seu illius actionis, prout est a Deo, quam ut est ab hominis voluntate. In quo sensu nulla est quæstio de prædeterminatione, cum tota difficultas consistat in antecessione causalitatis, qua dicitur auxilium efficax facere, ut voluntas faciat, efficienter ac physice et causaliter prædeterminando voluntatem ipsam.

23. Quod facile declaratur ostendendo rationem difficultatis longe disparem inter hoc auxilium simultaneum et prædeterminans causaliter, quam P. Cumel, et alii enixe et frequenter postulant. Nam in hoc simultaneo influxu Dei cum voluntate ad ejus primam determinationem, influxus Dei non ponitur, nisi cum dependentia ejusdem numero actionis indivisibilis, a libera cooperatione voluntatis, et ideo illa determinatio nunquam est suppositio antecedens causaliter liberam voluntatis usum, sed illum potius intrinsece includit,

ideoque, quantumvis ille influxus Dei, propter suam excellentiam, vocetur prædeterminatio, nunquam per particulam *præ* significatur suppositio antecedens necessitans voluntatem ad cooperandum, sed solum dicit ita esse simul cum cooperatione voluntatis, ut cum illa dignior et excellentior sit, de quo nemo dubitat. Altera vero prædeterminatio causalis inducet antecedentem necessitatem, quæ in dicto auxilio simultaneo non invenitur, et ideo dicimus ex parte illius vel esse non posse, vel saltem non esse, veram et propriam determinationem de qua loquimur. Unde, cum Ledesma et alii supra citati dicunt Deum esse qui prædeterminat voluntatem, et nihilominus voluntatem in eodem signo naturæ efficere prædeterminationem sui, si loquantur de prædeterminatione æquivoce et in hoc posteriori sensu, vel fugiunt difficultatem, vel certe solis verbis a nobis dissentiant, non in re. Ille tamen sensus non potest consistere cum multis aliis doctrinis, quas de hac prædeterminatione tradunt, nec cum distinctione auxilii efficacis physice prædeterminantis ab auxilio simultaneo. Si autem in sensu proprio et usitato inter nos de prædeterminatione loquuntur, repugnat profecto prædeterminationem fieri active a voluntate libere cooperante, cum ad hoc illi detur a Deo, ut ipsa suam primam actionem ac primum influxum inchoare valeat, quia (ut ipsi supponunt) præexistens indeterminata id facere non potest. Ablata ergo vera prædeterminatione, quæ per actionem præviam et solius Dei, et distinctam in re ab actione voluntatis fiat, nulla relinquatur prædeterminatio vera ex vi solius simultanei influxus, quem Deus, ut prima causa et auctor gratiæ, habet in talem actionem voluntatis.

CAPUT XIX.

UTRUM CONCURSUS SIMULTANEUS, UT EST A VOLUNTATE DEI, SEMPER AC NECESSARIO HABEAT VIM PRÆDETERMINANDI PHYSICE VOLUNTATEM.

1. *De alio sensu questionis.* — *Auxilium Dei dupliciter spectari potest.* — Priusquam fundamento contrariæ sententiæ respondeamus, oportet de alio sensu quæstionis dicere, quia possunt illius sententiæ auctores in hoc posteriori sensu suam opinionem interpretari, et discursum a nobis factum enervare, adhibita quadam distinctione, quam de prædeterminatione in actu primo supra retulimus, et hic potest apparenter accommodari. Nam concursus seu auxilium Dei dupliciter spectari

potest, primo, secundum se, et secundum suam præcisam entitatem; secundo, ut procedit a voluntate efficaci Dei, qua vult hominem efficere talem consensum. Priori ergo modo, verum est concursum illum non habere vim prædeterminandi voluntatem, quia suo modo pendet a libera et simultanea cooperatione ejus. Et hoc probant omnia quæ in præcedenti discursu dicta sunt, et id fortasse non negabunt contrariæ sententiæ defensores, cum etiam de auxilio prævio interdum id doceant, ut vidimus. At vero spectatus ille concursus posteriori modo videtur habere vim determinandi et prædeterminandi voluntatem humanam. Probatur, quia ut procedens ab illo decreto divinæ voluntatis, participat totam vim et efficaciam illius; sed illud decretum Dei est efficacissimum ad determinandum libere voluntatem nostram; ergo et ille influxus Dei, ut ab illo decreto manans, habet eandem vim. Minor probatur, quia non potest nostra voluntas resistere tali decreto voluntatis divinæ, ut est de fide certum; unde, posito illo decreto, quod Deus efficaciter vult ut ego libere velim, fieri non potest quin velim, et libere velim; ergo mea voluntas manet determinata ad talem actum, ex vi divini decreti. Unde, cum illud decretum antecedit hominis consensum, vere dicitur per illud prædeterminari, et quia illius decreti efficacia non mandat executioni, nisi medio auxilio simultaneo, ideo tale auxilium non ex se, sed ob respectum ad tale decretum dicitur prædeterminare voluntatem, et habere quamdam veluti eminentem antecessorem ad illam prædeterminandam.

2. Nihilominus assero etiam hoc modo non esse necessariam prædeterminationem physicam voluntatis humanæ ad liberum consensum præstandum, postquam sufficienter præventa et excitata est, habetque omnia auxilia gratiæ necessaria ex parte principii proximi, ad physice efficiendum talem actum. Ita tenent auctores omnes moderni, in cap. 10 et 11 allegati, et in capite sequenti allegandi. Nunc enim non dico hunc modum prædeterminationis in prædicta responsione esse impossibilem, vel simpliciter, vel cum usu libertatis, id enim videbimus capite sequenti; sed solum dico non esse necessarium ad omnes et singulos actus, seu consensum supernaturales nostræ voluntatis. Ratio est, quia non est necessarium ut concursus simultaneus, quem Deus præbet ad singulos actus supernaturales, procedat ex illo decreto absoluto voluntatis Dei, quale in dicta responsione explica-

tur; sed tota ratio illius prædeterminationis dicitur esse tale decretum; ergo neque talis prædeterminatio necessaria est ad singulos actus. Consequentia cum minori evidentes sunt ex dictis; major autem probatur, quia illud decretum non est necessarium ut voluntas humana constituatur in actu primo completo, et ita perfecto et sufficiente ad præstandum consensum, vel eliciendum quemcumque actum supernaturalem, ut solum indigeat concursu actuali et simultaneo; tum quia, sublato e medio auxilio prævio (ut supponimus), nihil aliud fingi potest necessarium; tum etiam quia sæpe ostensum est illud esse de ratione auxilii sufficientis, quod proxime antecedit effectum liberæ actionis. Nam esse potest in his qui non consentiunt, et tamen illis non datur ex vi illius decreti, ut per se notum est; ergo ad habendum omne auxilium necessarium proxime ante concursum simultaneum, non est necessarium illud decretum. Neque etiam est necessarium ad ipsum concursum præstandum. Ergo nulla superest ratio ob quam illud decretum simpliciter necessarium sit. Hanc consequentiam nunc ut claram suppono, quia ad producendos effectus per causas secundas, per se loquendo, et quantum est ex parte ipsorum effectuum, vel ex indigentia causarum secundarum, solum illud decretum et ea tantum efficacia ex parte divinæ voluntatis necessaria est quæ, ad præstandum generalem concursum effectui accommodatum, sufficiens fuerit, quidquid sit, an ex parte Dei intercedere possint alia decreta prædefinitiva, de quibus sæpe tactum est, et infra capite 30, dicturi sumus. Nunc ergo solum superest probanda minor propositio, ad quam tota hujus puncti difficultas revocatur.

3. *Ad concursum simultaneum præstandum, non est absolutum Dei decretum necessarium.* — Quod ergo ad concursum simultaneum præstandum, non sit absolutum Dei decretum necessarium, probatur primo ex objecto illius decreti, nam per illud proxime solum vult Deus concurrere cum voluntate; sed in ipso nomine, et ratione concursus includitur, ut non solus Deus faciat talem effectum, sed cum alio simul coefficiente; ergo ex vi talis objecti non est absolutum necessarium, et efficax decretum de tali effectu futuro, sed solum de concursu cum alio, in quo includitur conditio, si alius coëffecerit. Dices imo, eo ipso quod Deus vult concurrere, vult etiam hominem cooperari, nam concursus est plurium cursus, et ideo si Deus absolute vult concursum cum